

1551

*Julius p̄tis  
tis bellum  
Farnesii  
indicit.*

*Brixillū ab  
Hispanis  
occupatum.*

*Ferdinandus  
Gonzaga  
Parmensis  
expeditionis  
dux declar-  
ratus.  
Cesar Neo-  
castrum &  
Monticulum  
a Ferrarie-  
si petit.  
Cesaris pol-  
licita de  
Parma ar-  
bitrio Pont.  
permittēda.*

mi, Ferdinandum Gonzagam Brixillum, inter Regium ac Par-  
mam ad Padi ripas situm, Herculis Ferrariensis oppidum, oc-  
cupasse, atque munire nuntiatur. Ex eo Gonzagæ facto nemo  
fuit, qui ingentem molestiam non perciperet, quod inde ini-  
tium belli factum, atque pessimo exemplo Ferrariensi intole-  
randam injuriam illatam arbitraretur. Pontifex licet ex Cæsa-  
ris voluntate, ac nutu pendere cogeretur, id ægre admodum  
tulit. Hercules impar ad injuriam repellendam ad Venetos con-  
fugit; Senatus sententiam certius sibi significari, auxilia ad  
suas ditiones tuendas, quæ pro munimento, ac propugnacu-  
lo ea ex parte Reipublicæ sint, suppeditari flagitat. Verum  
quamvis, Brixillo a Gonzaga occupato, mirum in modum Pa-  
tres commoverentur, attamen a veteri sententia, qua sibi ab  
armis abstinentium statuerant, deduci non poterant. Itaque  
Herculi significant: *quæ ad Brixillum secuta sint, acerbe ad-  
modum tulisse: sibi suaderi non posse, Cæsarem oppidum per  
vim ei abripere velle: adbuc de concordia agitari: vix ad-  
duci, ut crederent, Suleimano ingentes copias parante, Prin-  
cipes vesana adeo imperandi libidine vexari, ut bellum non  
nisi multis cædibus, ac cladibus in Italia restinguendum in-  
ciperent: proinde a Republica maritimas vires augeri; oppi-  
da præsidis firmari: idem ex oriente bello in Gallia Cisalpi-  
na facturos: id ipsum ut Hercules efficeret, probare: confi-  
dere, ejus prudentia, ac virtute nihil rebus suis detrimenti  
accessurum; at ex successibus, prout se se occasio, atque oppor-  
tunitas objiceret, consilia capturos, ejusque ditionibus non secus  
ac Reipublicæ rebus prospecturos.* Cæsar Ferdinandum Gonza-  
gam Parmensis expeditionis Pontificis nomine administrandæ  
ducem renuntiat, Francisco Estensi in Subalpinis imperium  
tradit; neque Brixillo contentus, ab Hercule Neocastrum, &  
Monticulum, Regiensis agri oppida, uti ad Parmam obtainen-  
dam maxime necessaria, petit: eadem statim restituturum pol-  
licetur. Ac ne aliam ob causam, quam Ecclesiæ commodo,  
& Italæ tranquillitate ad eam urbem invadendam impulsus  
videretur, syngrapha se obstringit, nullo unquam tempore a  
Pontifice Parmam repetiturum; quecumque in Parmensi agro  
castra, atque oppida possideat, juribus tantummodo Imperii,  
ne successoribus officiat, servatis, concessurum.

Dum